



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Sit moderatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

pullam olei, quò eum unxit; quæ etiamnum Rhemis asseruatur. Indeque Reges Francia uncti à Deo nanciscuntur facultatem curandi strumas; ut asserunt rerum Gallicarum Scriptores; & testantur, qui præsentates fuerunt. Cornelius in 1. Reg. 10. 1.

Num. 4.

Reges mali.

Nequaquam regnum tuum ultra con-
surgat. 1. Reg. 13. 14. Ratio est: qui parere nescit, indignus est imperiò. Sic inobedientes Reges sæpe in Scriptura Regis nomine privantur. Nam Abigail de Saule locuta 1. Reg. 25. 29. *Si surrexerit aliquando homo persequens te.* Et 2. Paral. 26. 18. Sacerdos Azarias sic alloquitur oziam divinæ legis contemptorem: *non est tui officii, Ozia, ut adoleas in censum Domino.* Mendoza in 1. Reg. 13. 13.

Quasi tempestas transiens non erit impius. Prov. 10. 25. q. d. impius est similis procellæ, & turbini, transeunt: quia licet ad tempus, instar tempestatis, terribilis sit hominibus, non diu tamen subsistit; sed subito è vita tollitur. Sic de Nabuchodonosore Jer. 4. 13. *ecce, quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus ejus.* Et de Antiocho Dan. 11. 14. *quasi tempestas veniet contra illum Rex Aquilonis.* Et de Cyro Isa. 21. 1. *sicut turbines ab Aphrico etc.* Fernandez nosster in Gen. c. 31. Sect. 8. n. 8. sic explicat verbum citatum: celum aliquando tenebris obducitur, deinde malignò fulgore intermicant fulgura, reboat æther, immugiunt tonitrua, furit tempestas. Quid ergo? pavor, terròrque in terris. Bene: sed, soluta demum in pluvias nube, tempestas fileat, redit celo serenitas, terras lux alma re-

visit. Quievit tandem fragor, qui gentes teruerat. Sola in terris videnda restant lutum, & sordes. Sic habent filij hujus Mundi: dum vivunt; honorum, dignitatumque, nominibus, ac titulis, pomparum vanissimarum strepitu, auri, argentique tinnitu reboant: audiuntur, sciuntur, celebrantur; mortalibus sunt admirationi, ac terrori Tempestas est. Cæterum, mortis interventu, sepultis illorum cadaveribus, pariter illorum superbia, & memoria, sepe litur. Cornelius hic.

Inter Reges Judæorum omnes se malè habuerunt, exceptis tribus. Eccl. 49. 5. *Præter David, & Ezechiam, & Josiam.* Jerem. 5. 5. *ibo ad optimates etc.* & subditur: *ecce magis hi confregerunt jugum.* S. Thom. Aqu. opulc. 38. de erudit. princ. c. 1.

Nulla prorsus est erecta potestas, nisi erigatur super vitia; nisi ad coelestia sublevetur. Nempe depressa erit omnis potestas, in moribus nequiter subjecta demonibus; post hanc vitam suis includenda carceribus. Sim. Casl. l. 3. Luc. 1. 69.

Miscellanea.

Abimelech. Gen. 26. 1. Nomen commune Regum Palæstinæ; uti Pharaò, Ptolomæus, regum Ægypti, & Casar Romanorum. Abimelech Hebraicè significat *Patrem Regem*, quasi diceret, Pater patriæ. Cornelius hic.

Omni tempore sint vestimenta tua candida. Eccl. 9. 8. Græcè *splendida.* Vestis Regum erat candida. Talis fuit Salomonis, de qua Josephus l. 8. antiq. c. 2. at Salomon regio curru investus; amictus veste candida. Unde ei inspersa fuisse lilia, insinuat Christus. Matthi. 6. 28. 29.

**TITULUS XVI.
RISUS.**

§. I.

Sit moderatus.

Templus flendi. Eccl. 3. 4. est in vita præsentis; *tempus ridendi* in vita futura. Salomonius hic. S. Hieronymus: nunc flendi tempus est, in futuro ridendi. Beati enim flentes, quoniam ipsi ridebunt. Luc. 6. 21. Plangendum est in præsentiarum, ut postea saltare valeamus; illà saltatione, quâ saltavit David ante arcam. 2. Reg. 6. 14. quia, qui in præsentis sæculo sua plangit peccata, ridebit postea in futuro; juxta illud Malach. 4. 2. *egrediemini, & saltetis, sicut vituli de armento.* Cornelius hic.

Vir sapiens vix tacite ridebit. Eccl. 21. 23. S. Basilus Reg. 17. filio spiritali ita præscribit: noli dissolutis labijs risum proferre: amentia namque est, cum strepitu ridere; sed subridendo tantummodo mentis lætitiã indica. Nec in modum parvuli velis joculari assidue: quia non convenit ei, qui ad perfectionem nititur, joculari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, & vir perfectus in sensu: nullum enim habet æ-

Rogantib. Sacra. Tom. II.

cessum cordis compunctio ubi fuerit immoderatus risus, & jocus.

Quenam oculos ita frænavit? quanam risum ita irrisit? adeò, ut vel leviter subrisisse, nimum penè ipsi videretur. S. Gregor. Naz. orat. 11. de sorore sua.

Agnoscamus præcipitia; nec appropinquemus. Hoc maximæ securitatis vobis erit occasio, non tantum peccata fugere, verum & quæ videntur media quidem esse. Ad peccata verò nos supplantant, quale est, ridere; & jocosã dicere verba. Non manifestum quidem peccatum esse videtur; sed in manifestum cimen inducit: nempe sapius ex risu turpia nascuntur verba; à turpibus verbis actiones turpiores. S. Chrysost. hom. 15. ad pop. Antioch.

Ridere solutius neutiquam iis permittum est, qui sunt germanè Christiani. Omnino minime convenit Monachis; qui se jam crucifixè sunt Mundi illius vitii. Qui, quæso, possibile sit, hunc crucis Christi dulcibus clavibus esse transfixum, qui sic solet profusione lætitiã diffundi; & ridere solutus. S. Antiochus Abb. hom. 9.

D d d d

Ad

Ad mortem veheris à quatuor humoribus, velut æquis; ad iudicium; & rides? Reus es mortis; sententia lata forsan hodie executioni mandanda; & rides? Melius est lugere in solitudine, quam ridere in aulis principum. Stella de cont. p. 1. c. 58.

§. II.

Nunquam videntes.

Christus. Flentem quidem Dominum frequentè invenias; nunquam verò ridentem; sed nec leviter saltè subridendo gaudentem: nullus enim Evangelista hoc memoravit. Nam quòd & Paulus fleverit quidem, & per triennium noctibus id fecerit, ac diebus; & alii de illo, & ipse de seipso testatur. Quòd verò riserit; neque ipse unquam, neque de illo quispiam alius ostendit. Sed nec ullus San-

ctorum, vel de seipso, vel de alio quopiam, tale quid aliquando significasse, narratur. De solà sanè Sara legimus hoc dictum; sed illicò voce Dei correpta est: & de filio Noè; sed propter illum risum servus factus est ex libero. S. Chryost. hom. 6. in Matth. 2. Plura hìc habet contra risum.

Firmum, ait S. Bernardus, est mihi propositum, nunquam ridendi; quòisque audiam ex ore Dei illa verba: *venite benedicti*. Néque à fletu desistam, donec liber sim ab illa sententia: *discedite maledicti in ignem æternum*. Matth. 25. Cornelius in Thren. 3.

Serenabat quidem vultum suum assidentium gratià, nè fieret onerosus; sed risum integrum, si benè recolitis, non admittit. S. Bernardus serm. in obitu Humberti Monachi.

S.

TITULUS I.
SACERDOS.

§. I.

Figura, & Symbola.

Melchisedech, Rex Salem proferens panem, & vinum. Gen. 14. 18. Melchisedech, qui occurrit Abrahamo victorioso, significat *Rex justitiæ*. Probabile est, illum fuisse aliquem è Regulis Chananæorum; qui inter impios Chananæos pius, & sanctus, vixit. Fuit typus Christi Sacerdotis. Cornelius hìc.

Tues Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech. Pf. 109. 4. S. Hieron. in Pf. 74. non dixit, secundum ordinem Aaron, sed Melchisedech: Aaron victimas obtulit, bestiarum sanguinem fudit: Melchisedech nihil horum fecit, sed tantummodò panem & vinum obtulit. Gen. 14. 18. Hoc fecit Melchisedech; & propterea dicitur, secundum ordinem Melchisedech. q. d. Hieron. mactare animalia, dividere, sanguinem fundere, discordiarum erant insignia: panis, & vinum; pacis, concordia; quæ Melchisedech *Rex Salem*, vel *pacis*, obtulit. de Castillo Illat. 238.

Omne caput languidum. Isa. 1. 6. Quia nullus est idoneus ad succurrendum alteri, propter propriam infirmitatem. *Omne cor marens*. Quantum ad personam Sacerdotis: cor enim primò recipit vitam ab anima, & transfundit in corpus; quasi medium inter animam, & corpus. Ità Sacerdos est medius inter Deum, & populum. S. Thom. Aqu. hìc. *Caput* accommodari potest Principibus, *Cor* Sacerdotio, *Pedes* populo Principi subiecto. Cornelius hìc.

Ex tribu Levi. Apoc. 7. 7. *Levi assumptum* significat: quò nomine denotantur ij, qui, per conversationem Sacerdote dignam, à Christo assumpti sunt. S. Andreas Cæsar. f. 7. hìc.

§. II.

Sacerdotis encomia, dignitas.

Num. 1. in genere

Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit &c. Levit. 4. 3. Jubeat Sacerdotem, qui in Legem aliquid commiserit, vitulum immaculatum sacrificare. Quòd si populus universus tale crimen admiserit, similem hostiam offerre statuit: docens, quanta sit Sacerdotii dignitas; quam universo populo pacem facit. Theodoretus q. 1. in Levit.

Filii autem David Sacerdotes erant. 2. Reg. 8. 18. Tanto olim in honore erant Sacerdotes Hebræis, Græcis, & Romanis, ut illustres viros Sacerdotes dicerent. Sic intellige illud 2. Reg. 8. 18, & 1. Paral. 18. 17. *Filii David Sacerdotes erant*. Nec enim fungebantur munere Sacerdotis: quia tribui Judæ id vetitum, teste Paulò Hebr. 7. 14. Vocat ergo Scriptura Sacerdotes Filios Dei, quòd essent excellentes, & in magnà æstimatione: sicut eloquentes vocamus Cicerones &c. Diez. Conc. 3. Dom. in Alb. Quæris: cur filii David Sacerdotes fuisse dicantur? qui nullam cum filiis Aaron consanguinitatem, nisi sicut ceteræ tribus, habuisse noscuntur? Sed sciendum est, quia dum Sacerdotes venerabiles, ac Magistri, constituantur in populo; aliquando nomine Sacerdotum designantur Principes, vel Doctores. Ità quoque, cum dicitur: *Filii autem David Sacerdotes erant*, sic intelligendum est, ac si dicat: quia Magistri erant fratrum suorum, vel certè Principes inter ceteros; sicut habet vetus translatio: *Filii David Principes erant aula regie*. B. Petrus Dam. l. 2. epist. 20.

Sacer-